

feo, ad latera fere caerulea. *Rostrum* habet simum, sursum repandum; cuius labri inferioris tanta est crassitudo, ut a superiore sejungatur dum piscis pronus est, quadraginta triculenti in eo dentes, quorum anteriores obtusi et graciles, posteriores acuti et crassi sunt. *Oculi* eidem sunt parvi, *pinnae* pro corporis magnitudine pusillae. *Cutis* glabra et politissima. *Cauda* lunata, et ulnam distenta excedens. *Pudendum* mari in medio ventre abstrusum, duorum pedum longitudinem excedens; in foemina ano vicinum est, ad quod utrinque duorum digitorum intervallo, quaedam foramina visuntur, in quibus mammarum papillae delitescent. Saepe octingentas, aliquando et mille libras excedunt. *Lienem* unico orbiculari globo in placentae formam effectum habet. Plurimum aquae per fistulas ejaculari, Plinius author est. *Orca*, inquit, in portu Ostiensi visa est oppugnata a Claudio Principe. Venerat tunc exaedificante eo portum, invitata naufragiis tergorum et Gallia advedtorum, satiansque se per complures dies, alveum in vado sulcaverat, accumulata fluctibus in tantum, ut circumagi nullo modo posset, et dum saginam persequitur, in littus fluctibus propulsa, eminente dorso, multum super aquas, carinae vice in-

versa. Praetendi iussit Caesar plagas multiplices inter ora portus, profectusque ipse cum praetorianis cohortibus, populo Romano spectaculum praebuit, lanceas congerente milite, et navigiis assultantibus, quorum unum mergi vidimus restatu belluae oppositum unda. De earum et Balaenae pugna ita quoque Plinius. Balaenae et in nostra maria penetrant. In Gadi-tano Oceano non ante brumam eas conspici tradunt. Condi autem aestatis temporibus in quodam sinu placido et capaci mire gaudentes ibi parere. Hoc scire orcas, infestam his belluam, et cuius imago nulla repraesentatione exprimi possit alia, quam carnis immensae dentibus truculentae. Irrumpunt ergo in secreta, et vitulos earum et foetas vel etiamnum gravidas lancinant morfu, incussaeque ceu Liburnicarum rostris fodiunt. Illae ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, et pondere suo oneratae, tunc quidem et utero graves, pariendive penis invalidae, solum auxilium novere in altum profugere, seseque opponere, et cautium angustis trucidare, in vada urgere, saxis allidere. Spectantur illa praelia ceu mari ipso sibi irato, nullis in sinu ventis, fluctibus vero ad anhelitus ictusque, quantos nulli turbines volunt.

Hucusque Plinius.

ARTICVLVS IV.

De Delphino.

TAB. XLIV. **P**iscis, quem Latini Delphinum vocant, is Graecis *δελφίς* et *δελφίν* et si minutus *δελφισκός*, plerisque Europae nationibus, Porcus marinus dicitur. Ex Cetis esse, quod branchiis careat, pulmonemque et arteriam habeat, Aristoteles reliquit. Repando dorso incurvum esse plerisque proditum, unde incurve cervicum pecus Pacuvius vocavit, seu quod talis oculis nostris, dum ab undis exsiliens in mare praeceps fertur, propter celeritatem motus appareat; seu quod, quia branchiis destituitur, revera corpus, cum se vibrat, incurvet, ut promptior in gurgitem pronus feratur.

Rostrum ei est simum, unde Simonis nomine gaudere Plinius scribit. *Linguam* mobilem, brevem, latam, carnosam, exertam in ambitu ferratam, suillae non absimilem. *Dentes* parvos, acutos, pectinatim coeuntes. *Oculos* magnos, sed cute adeo tectos, ut pupilla solum appareat, non longe ab oris scissura, quin in eadem prope modum linea sitos. De *Fistulae* situ non convenit inter authores. In dorso esse scribunt Aristoteles et Plinius, ante cerebrum Rondeletius, cuius verior sententia, inter oculos Bello-nius. In dorso esse creditum veteribus, quod magis ad posteriorem partem quam in balaena spectet. *Pinnis* dua-

Aldrov. de Cetis c. 7.

Plin. H. N. l. c.

Aristot.